



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Doct. Martini Lvtherii Avgvstiniani Theologi Synceri
Lvcvbrationvm Pars Vna, quas ædidit usq[ue] in annum
præsente[m] XX. Catalogum earu[m] uersa tibi pagina
indicabit. Alio Tomo, Domino Volente, ...**

Luther, Martin

Basileae, 1520

VD16 L 3411

Praeceptvm Tertivm. Memento Vt Diem Sabbatvm Sanctifices.

urn:nbn:de:hbz:466:1-34878

iurent: quia perfectior & integrior esse debet honor nominis dei in noua lege, quam ueteri.

Secundo. Quia Christianus temporalia non debet amare, ideo propter ea non debet iurare. Quoniam qui non debet querere quae sua sunt, quomodo etiam pro eis iurare permittetur: pluris itaque nomen dei quam sua estimare debet, quod tunc apud Iudaeos dissimulatum est. Vbi uero alteri seruiendum fuit, ibi sine scrupulo, tamen cum timore dei, frater fratri tenetur facere, quae sunt pro eius necessitate facienda. Et ratio est prohibitionis, quia scit quod nos non assumimus nomen domini, nisi in uanum semper, praeterquam ubi in charitate & humilitate pro alijs, uel sua salute assumitur, quod fundamentum est huius prohibitionis. 1. Corinth. vii. Nemo potest dicere, dominus Iesus, nisi in spiritu sancto &c. Vel melius, Non iurare omnino, dicitur contra eos, qui effugium querunt, quia iurant, sed non per nomen domini, sed per caelum, terram, Hierusalem, caput animam quasi ideo non sint rei, si periurent, quia non per nomen dei iurant, ac sic iurare eiusmodi, quasi pro non iurare reputant. Quod haec sit mens Christi, uidetur ex hoc, quod statim secutus exponit, quomodo non uelit iurari omnino, scilicet neque per Hierusalem &c.

PRAECEPTVM TERTIVM.

MEMENTO VT DIEM SABBATVM
SANCTIFICES.

Hoc est praecipuum meum, ut diligatis inuicem. Io. xv. Charitas plenitudo legis, ait Apostolus. Qua habita nulla est lex necessaria: sine qua nulla lex satis est. Igitur in hoc tertio praecipuo, iam opus praecipitur, immo quies, ut non offendatur deus operibus. Neque enim aliquid in eo praecipitur opus. Quare haec tria praecipua parant hominem deo, uelut puram materiam, ut quiescat corde, ore, opere, id est, interiori & exteriori, & medio homine, qui sunt sensualis, rationalis, spiritualis, & sit pura quies. Hic ante omnia duo notanda sunt.

Seruilia opera
sunt opera
peccati.

Primum. Quod sabbatum fuit Iudeis praecipuum in figura, sicut expresse significat Apostolus Colo. ij. Quae sunt umbra futurorum, corpus autem Christi. Unde opera seruilia seu manualia, cum sint utique bona, significant opera peccati, & illicita ueteris hominis. Nam sicut quaedam animalia erant immunda, tantum significatiue, in seipsis bona, munda, sana, quia creata a deo, & tamen immunda & mala significabant: Ita & opera corporalia, quae de se sunt bona, tamen prohibita sunt ad significationem futurorum, id est, malorum reuelandorum. Sic sabbatum significat ipsum spirituale tempus, quod sol iustitiae Christus illuminauit, quod non habet noctem. Unde Esaia. lxxvj. Erit mensis ex mense, Sabbatum ex sabbato. Et Apostolus Galatas arguit, quod dies & menses obseruarent, & tempora & annos secundum ritum Iudaicum, id est, externe tantum. Ideo istud praecipuum cessauit proprie immo omnia, quo ad perfectos Christianos, quia iusto non est lex posita.

Festi dies in
stituti propter
imperfectos,

Veruntamen ecclesia festa retinuit propter necessitatem uerbi dei pro imperfectis, nam iustus uerus sic deiformis est, ut sicut deus indifferens est ad omnem diem,

diem, omnem locum, omnē personam, ita & ipse, omnis dies est illi festus. Verum infirmis, qui nondum sunt mortificati secundum ueterem hominem, illis opus est, ut certis officijs, diebus, modis occupentur, uigilijs, ieiunijs, laboribus orationibus, disciplinis, & similibus, quibus perueniant ad profectum interioris hominis: ut ubi corpus castigatum, & in seruitutem fuerit redactum, & mortificatae passionibus, tum ipsa cessent paulatim, & tantum minuuntur, quantum profecerit interior homo, adeo ut si perfectus fuerit, illa omnino cessare debeant, hoc est, quod Apostolus ait, Lex paedagogus noster fuit in Christo. Nihil enim ad profectum duxit lex. Ioannes autē praecessit parare domino plebem perfectā.

Proinde, qui illis operibus factis, uelut magnum aut totū se fecisse putat, & ibi stat confidēs in illa, securus, nec aliud per ea quaerens, ipse est uetula Ephraim docta diligere tritiram, qui hoc putet esse bonum hominem, bona operari, scilicet cum hoc sit, hominem parari ut bonus sit. Est enim baptismus aquae tantum. De quibus in tota scriptura multa, immo fere omnia dicuntur, sunt enim hypocritae, iusticiarij, qui & scripturam ad haec torquent, nescientes (ut ait Apostolus) neque de quibus affirmant, neque quae loquuntur. Dicit artificij cuiusque discipulus, ea facit, quae artifex non nisi libeat facit, sed per haec ad magisteriū proficit, quod si in ijs stet, uelut omnia sciens, stultus & ridiculus omnibus erit. Sic hic per bona opera non efficitur boni, sed praeparatur. Non enim operando, sed patiendo boni sumus, cum patimur diuinas actiones, quieti ipsi.

Bona opera nos praeparat

Igitur hoc praecipuum ecclesiae, & multa alia figuralia tenet pro infirmis exercendis, ut proficiant, non ut ibidem stent, ijs factis securi.

Secundo notandum, quod B. Grego. hic quaerit. Quare dominus id unū mandatum adducat, cum omnia scripta plena sint mandatis. Verum omnia mandata (ut dixi) requirunt charitatē, cū sine charitate, id est facili, prompta, hilari, libenter, uoluntate, si implentur, non implent, manet enim inuita, ideoque & rea uoluntas, licet opus faciat manu & extra. Sic enim, Qui offendit in uno, factus est omnium reus. Sic Psal. j. Beatus uir dicitur, cuius uoluntas in lege domini sit (id est, qui habet charitatem, & diligit proximum.) Et Psal. cix. Populi tui spontanei. Et Apostolus, Hilarem datorem diligit deus. Non enim placent deo coacta seruitia, sed libera & uoluntaria; ut Psal. liij. Voluntarie sacrificabo tibi. Voluntas ipsa est charitas, secundum beatum Augustinum.

Quare ergo non dedit, & sufficit in uno illo?

Respondeo, sufficit quidem, sed ostendendum fuit homini, in quibus charitatem habere deberet: Ne falsa opinione & fiducia seipsum seduceret, charitatem se se habere putans cum non haberet. Facile enim optima de nobis, & pessima de proximo sentimus, cum debeamus contra. Ideo decalogus praecipitorum uelut speculum est, in quo homo seipsum consideret, in quo & quantum deficiat aut proficiat. Nam in illis omnibus, non oportet attendere, ut faciat, sed omnino, quo corde & uoluntate faciat. Data sunt inquam, in cognitionem nostrae uoluntatis, deinde & in exercitationem eiusdem; quae omnia fiunt in onus ijs qui inuiti, & & difficiles sunt. Nam ecce ut id ipsum declarem, primum mandatum omnia alia in se continet. Qui enim hoc seruat, omnia seruat, & qui aliquod non seruat, hoc non seruat, quia cor eius aliud quam solum deum respicit.

Aius facit se non opus peritatur.

Praecipuum primum non seruat, nisi alia seruentur omnia.

Verum Adam ille uetus noster adeo peruerse superbus est, ut sepius uelit factior & sanctior uideri, quam omnes sancti. Idcirco fronte posita audet dicere, se primum mandatum seruare, & sibi non esse conscium: non idolum habere, nihil iuxta deum amare, ideo remittendus fuit ad opera & uerba, quae ei testimonium

Q uis nū

nium perhibeant de seipso, & eum conuincant superbae temeritatis, uel mendacii. Vt si praesumat quod non habet deum alienum, quaerat linguam, si iuret: si in uanum assumat nomen dei: Quia ex abundantia cordis os loquitur, facilis est error in opinione cordis, & lubrica temeritas. Neque facile potest sciri an seruet primum, nisi opera & uerba interroget. Igitur, si iuret, aut uane deum nominet, sciat se mentiri, aut falli. Si dixerit se deum amare, & primum praecipuum seruare, non recte discussit & probauit cor suum. Sed ecce, seruare uideatur sibi & secundum. Non est sibi conscius, interroget se in tertio, an prompte sanctificet sabbatum, an auide uerbum dei audiat, oret, meditetur, legat, disputet de deo, intersit diuinis. Si haec non facit, uel difficilius facit, quam alia sua, si dixerit se seruare primum & secundum, fallitur: opera enim testimonium perhibent de eo. An potest fieri, ut quis assumat non uane nomen dei, qui ipse uanus est? Quomodo uanus aliud agat, quam uanum: uanum loquitur, uanum cogitat, etiam si deum cogitet, loquatur. Vanus autem est, qui alia agit, quam quae dei sunt, & inuitus quae dei sunt, praesertim, quae sua sunt. Et omnis homo uanitas.

Tertio, uideatur sibi & hoc seruare, crassius signum probet, uideat quomodo suscipiat uicarios dei, quos uidet, pariter inquam, & praesidentes: si hos uiliter aestimat & contemnit quos uidet, quomodo audet dicere se deum aestimare, & non aliud praeter illo, quem tamen non uidet?

Quarto in istis, quae ad proximum, quem diligere utique est uoluntas dei, quae in primo praecipuo intelligitur semper. Si dicis quod diligis proximum, & eum odis, mordes, detrahis, laedis, despicias, occidis, maledicis, contumelialis, ecce opus tuum testimonium dat contra te. Item, si non defendis laesum, excusas, benedicens. Quia dilectio facit haec, si est uera. Vide ergo hoc speculum bene.

Quinto. Si nec ex illo te cognoscis, sicut uere non satis ex illo cognosci potest quia uaria est concupiscentia, & nulli satis etiam suis ipsius cognita, ideo per multa, immo per omnia ducenda, examinanda. Igitur non laesisti proximum in corpore & persona, quid si in corpore uxoris suae, quae eadem caro est? Si eam concupiscis, impudice inspicias, tractas, alloqueris, aut talia facientem non reuocas, adiutas, reducis, quomodo diligis eum quae so, sicut te ipsum? cum haec omnia uelis tibi ab illo fieri, quia sic utique te diligis, tibi faues.

Sexto. Esto & hic tibi non sis conscius, & Adam tuus sibi totus integer uideatur, sicut solet secundum caecitatem suam, cum in nullo sit purus, cogita quid in bonis eius externis pecces, scilicet an fureris: id est, quacumque fraude ad te aliquid perducas: falsaque merce pecunia, mensura, usura, dolo, rapina, furto, consilio consensu ei noceas, aut noceris.

Septimo. Quid in bonis famae? An detrahas, mordeas, & nullo linguae peccato in eum reus sis? An gaudeas alios facere, quod ipse omittis?

Non concupisces, praecipuum est maximum.

Octauo. Si in operibus & uerbis integer es (quod rarissimum est) intra nunc, discute cordis secreta, & pondera desideria eius. Et nisi mentiaris, inuenies, quod sis plenus concupiscentia. Nec dicas tibi, non concupisco, quia contra scriptura dicit: Quis gloriabitur se mundum habere cor? Nullus est mundus in tuis: nam non satis est ut concupiscentiam frenes, sed & non concupiscere debes: de quibus suo loco lati. Ideo ultima duo praecipua sunt maxima, quae sola Apostolus ad Romanos adducit, dicens, Non concupisces. Quare qui dilectionem habet, id est, sanam & plenam uoluntatem in legem dei, & diligit eam, hic implet legem dei. Non enim est timendum, quod diligens deum, nomen eius inhonoret, aut alium deum quaerat, aut polluat sabbatum. Et qui diligit proximum, non est timendum, quod contem

contemnat parentes, occidat, mœchetur, furetur, falsum testimonium dicat, aut etiam concupiscat, Cum poti⁹ quærat, ut beneficiat proximo. Dilectio, inquit Apostolus, proximo malum non operatur, neq; uerbo, neq; facto, neq; uoto.

Verum ad materiam huius præcepti tertij reuertamur, Sabbathū dixi olim fuisse sicut & nunc, figurale & ceremoniale propter infirmos. Nunc uero omnem diem esse festum, in quorum nullo sit peccādū. Quia si ille olim lapidibus obrutus est, qui ligna collegit in die sabbati, Num. decimoquinto: quid erit, qui in tempore gratiæ, enormia perpetrāt crimina? maxime etiam festis diebus. In terrore nostrum hoc scriptum est. Quia ligna colligere, non est malū tantum, sed significat malū, sicut & alia opera eiusdem diei seruilia.

Festus dies q
libet, cuius
Christiano.

Primi igitur sunt, qui crasse & ruditer peccāt in die festo, scilicet luxuria, ebrietate, ludis, ira, homicidijs, maledictis, rapinis, insidijs, fraudibus, dolis, & similibus, de quibus dicit Mala. ij. Dispergam super uultū uestrum sterces solennitatum ueststrarum, & assumet uos secum. Vide sterces appellat solennitates talium quia & stercoreant in illis, sicut porci immundi. Et Amos. v. Odi & proieci festiuitates uestras.

I

Hi enim similiter cū ludæis (de quibus hic loquitur) totum decus festi statunt in ornatu uestium, & uictus splendore, & ocio laboris. Quæ tria si sola sunt sine eo quod significant, Iudaicam solennitatē faciunt, & non nisi prouocamēta sunt libidinis, & uitiorum. Nam uenter repletus, & anima ociosa, deinde obiectis ornamentis coram oculis quid faciant, nisi ut in luxuriam ducant & mala desideria? Et nō cogitāt, qui sic sabbatiffant, quod si hoc esset sabbatiffare, quæ libet meretrix hoc posset, & quilibet Turca, aut paganus, immo equus & sus, scilicet comedere & bibere, deinde ociari, tandem pompose adornari.

Festi celebra
tio non est in
ocio & orna
tu corporis.

Hic inuenias aliquos, qui uigiliā seiuuent, nonnunq; in pane & aqua, sed diē in crapula & luxuria cōsumunt. Et factū est uniuersaliter, ut sabbatū celebrius agatur, q̄ dominica, quia abstinetur a carnibus saltē & ocio, & pompa, quæ in dominica prodige aguntur; & uniuersę uigiliæ sunt sanctificationes, q̄ ipse dies celebritatis, mera scilicet peruersitate.

Vigiliæ festis
phonorātur.

M Y S T E R I A.

Ocium corporale significat ocium spirituale, ut cesset a cupiditatibus & cogitationibus malis, ut capax possit esse uerbi dei, quod requirit animam uacuam. Quare quilibet Christianus se debet interrogare, quare hodie ociaris? & sic momentum & memoriale sibi habere, quod uacandum ei sit, ad deum audiendū.

Ornatus uestimentorum, significat bona opera, ut audire missam, orare, elemosynas dare, & alia misericordiæ opera facere, ut Christus contra Phariseos docuit, de quibus latius infra.

Ornatus ue
stium.

Laurus uictus significat } Beneficia dei.
meditari, legere } Passionem Christi, & ruminare uerbum dei.
} Peccata propria. De quibus infra.

Vici⁹ iauioj

Secundi sunt, qui operibus alias licitis, operantur ut sunt opera necessitatis & substantiæ nostræ parandæ. Et ij minus peccant q̄ præcedentes, & adeo minus quod etiam in multis casibus excusentur.

II

Quorum primus est Necessitas. Hæc autem necessitas quō intelligenda sit, ambigū est, quia mire uariat. Est autem nō melius æstimāda, q̄ secundū regulā saluatoris, qui in Euangelio dicit, non esse peccatum, asinum uel bouem de puteo leuare & adquare. Ex quo sumitur talis regula. Quod si damnum immineret tantum,

Laborantes
i die festo qua
necessitate
excusentur,
Regula,

tantū, uel etiam minus, quantū a sinu uel ualor eius pensatur, potest opus fieri, quo tale damnū cauetur. Quod tamen intelligitur, si tale aliquid, non uoluntate eligente, sed necessitate casus accidente contigerit. Hoc enim additur, ne avari sibi licentiam datam arbitrentur uendendi, uel emendi; quia scilicet si nō uenderent uel emerent, eius diei tantū lucrum periret. Sic enim nullus esset ponendus dies festus, quia quilibet fraudat lucrū, dū impedit negotia lucri & labores. Probat̄ regula: Quia si illud Iudaeis permissum est, & non fuit peccatū, quanto magis Christianis, qui liberiores sunt a ceremonijs iusticialibus. Ex ijs nūc particularia aestimentur. Vt si mercator in die festo emerit uel uendiderit, quod altero die uel hora, non sine magno dāno emere uel uendere potest, ut quia emptor aut uēditor transitorius est, neq; expectare uult; hic ideo excusatur, qui nō quasiuit opus & lucrum, sed oblatū accepit, ut damnū caueret, alias non facturus ex intentione, malens quod altero tēpore offerretur. Tūc enim sicut oblatū est insperate, ita potest & cito expedire, & ad feriandum reuertī. Par ratio est de quibuscunq; alijs damnis etiam minoribus, sub ea tamen conditiōe, ut diuina scilicet missa & uerbum dei non omittantur, nisi sit necessitas magna, quam arbitriū boni uiri excuset. Sed ut dixi, de damnis intelligitur, quae nō propter non usum negocij ueniunt, seu propter intermissionē negocij, sed casu. Nā dānum intermissione negocij, potest omni hora fieri.

Coci excusan-
tur de uiola-
tione sabbati

Secundo, de coquentibus, & paratibus uictum, haec enim necessaria sunt, & non est hic Iudaica superstitione insaniendum; qui non coquunt die sabbati, licet uorent, crapulentur & luxuriētur. Sic etiam afferri potum & cibum licet, & ut nostris moribus accedam, Vas cereuisiae in cellarium locare, nō est peccatum, hoc autem magis est peccatum, quod tot modijs & cantharis educitur, ut etiam usq; ad uomitum inebrientur. Sic maius est peccatum, ex coquina & cellario nimis afferri, q̄ inferri, hoc Iudaei non curant, illud autem curant, quos sequuntur multi. Mira autē stultitia, quod cibū nō parant. Cur non & amictū omitunt, & nudī incedunt; quando quidē induere est labor & opus. Deinde cur ambulat & radunt, stant; cur non sedent, dormiunt; cur comedunt & bibunt? An haec non sunt opera? Quomodo ergo sabbatistant, id est, quiescunt? Deinde non est paruus labor, stare ad missam & sermonem, & diuina officia; quod probo per omnes, qui inuite hoc faciunt quorum multi sunt, hic & alibi. Ergo dicunt illi, feriandum mihi est, non laborandum. Et ex pracepto contra praceptū agunt, huc enim peruenit sapientia Iudaica.

Iudaei culicē
colant, & ele-
phantem de-
gluciant.

Sic enim aliqui descenderunt ad minuta, ut etiam fersa facere dicant prohibita. Quod si intelligant de ijs, qui uendunt illa, uerum est. Virgo autē bene potest mane facere sertum suum, pro decore suo; quia potest illud ruptum reficere ergo & efficere. Immo uestes induere & ornare se, uestes excutere & purgare pro induendo, componere peplum, & alia ornamenta, non est contra hoc praceptum, nisi fiat more quarundam, quae a speculo non possunt recedere, & sic per haec diuina negligant. Quae uero ad superbiam, uel concupiscentiam sese orient, non contra hoc peccant praceptum, sed tanto grauius peccant, quod contra aliud praceptum dei, in die sancto peccant.

Tertio, de animalibus prouidendis in uictu & strato, mtilgendo, pascendo, curando &c.

Opificia nei-
cessaria oia
excusantur.

Quarto de tabernarijs, lanijs, pistforibus, piscatoribus, & alijs artificibus, prouictu & amictu aliorū agentibus, non peccant ij, nisi ubi ebriosis & Iudentibus per haec patrocinentur, & auxilientur, aut faueant.

Quinto

Quinto, in cōmuni utilitate, ut in reficiendo ponte, prohibendo fluuio, repugnando hosti, incendio extinguedo, & alijs publicis necessitatibus prouidendo.

Sexto, de medicinis, cursoribus, nūcijs necessaria ferentibus, fabris equos sufferrātibus, molenātinis &c. Hæc omnia in necessitate excusantur, dummodo tamen per hæc diuina non negligantur. In necessarijs occupati.

Septimo, de nundinas quærentibus, quia alio tempore nō possunt. Et ex his iudicetur de similibus. Nundinae.

Verū hic mouetur quæstio, An Vuitenbergenses sint excusati, q̄d die festo exercent balistarum artē pro aue deicienda de hastili erecto, cum id æque possint alio die facere, cumq̄ non sit hic necessitas, nec pietas, nec modicitas, ac diuidius ille dies festus post prandium, possit deo dari, sicut & ante prandium. Balistarij.

Simile iudicium de armorū ostensione, quasi non & alia die fieri possit æque bene. Hic domini consules uigilare deberent. Armilustrij.

Alterū est modicitas seu paucitas. Ergo omnia opera hic facere licet, quæ alijs diebus, dummodo sint pauca. Ut si futor par uel duo paria calceorum scinderet, fator tunicam, mercator uenderet aliquid, quod non exposuit uenale. Sic de similibus per omnia officia & opera curre. Paucitas excusat.

Tertium est pietas, ubi subuenitur pauperibus & indigentibus, itē ecclesijs. Sic enim balneare infirmum, lauare immundum, uestes, lectum eius lauare, parare, seruire in uictu, & obsequio, est etiā sanctū; alioquin & eleemosynas petere & dare nō liceret, cum id fratres medicantes nunq̄, nisi in diebus festis agāt, similiter & alij omnes. Sic uehere eis frumentum, ligna, potum, cibum, est licitū dummodo tamen fiat ex pietate, & non ex cupiditate retributionis aut gulæ, ut nunc passim habetur mos. Pietas.

Tertij sunt, qui sanctificant diem literaliter, sed non spiritualiter, ut qui faciūt quidem opera externæ sanctificationis, sed sine corde. Et quanq̄ satisfaciunt ecclesiæ, & minus peccent, q̄ præcedentes, tamen sunt Cainistæ, offerentes non personam, sed opus personæ, tantum cauent scandalum, & utinam tamen omnes tales essent, qui peius agunt. III

Sunt autem quinq̄ facienda pro sanctificatione festi, ut colligitur ex decreto, scilicet audire missam, audire uerbum dei, orare, offerre secundum aliquos, & cōteri de peccatis. Festi celebratio est in quinque rebus.

Primum, Audire missam. Hic nimium stulte quidā interpretantur canonem uolentes ideo missam legendam altiore uoce, quod nō uideri, sed audiri sit præcepta, quasi non magis præceptum sit, Canonē missæ, qui solus proprie est missa, pressa uoce legi, ne audiatur; cetera aut sunt orationes, & paramenta ad canonem missæ. Quod si propter euangeliū uolunt eam altius legendam esse, cur non cogitant, quod aliud est præceptum de uerbo dei, & aliud de missa. Sed cessent ista uana somnia, cum per omnē ecclesiā nullus nisi sacerdos solus missam audiat totā, magno scilicet eo sacramento, quod Christus uerus sacerdos, quanq̄ multa operatur in ecclesia, per externa sacramēta, & uisibiles ceremonias, in quibus ei fideles concinunt & cooperant, sicut clerus nūc facit sacerdoti, in cāntu, oratione, responsione; tamen plurima agit inuisibiliter pro nobis apud deū, quæ populus & ecclesia eius non uidet, neque percipit.

Deinde anceps quæstio est, an satis sit audire missam maturam. Item, an satis sit in monasterijs eam audire. Hic distinguitur.

Si est necessitas (de qua supra dictum est) tunc satis est audire maturam priuatam, uel etiam monasticam missam. Quia

Quia necessitas non habet legem.

Deuotioni
suae simplices
non sunt re/
linquendi.

Vbi autem non est necessitas, distinguitur fere semper, quod si nō omitteretur parochia ex contemptu, sed ex deuotione petitur monasterium, licet in monasterio audire. Sed meo iudicio dicam, saluo uniuersuiusq; sensu, in hac perdita temporis miseria, prorsus non est tutū, relinqui unū quencq; p̄sertim simplicioris & rudioris animi hominē suae deuotioni & discretiōi cōtra apertos canōes. Cuius ratio est, quia ideo sunt positi Canones patrum, ut dirigant populum. Et debet unicuiq; sua deuotio semper esse suspecta, & tanto magis, quanto magis placet cum est contra communem usum, uel decretū patrum. Cum sciamus, quod angelus Satanā in lucis angelum sese transfigurans, summe sit timendus & cauendus. Qui sub specie deuotionis facile omnia decreta solueret. Et illud Deut. xij. & Iud. xix. ubi praecipitur, immo prohibetur, ac reprehenditur, ne quilibet faciat, quod sibi rectum & bonum uideatur. Alioquin primo auferretur timor ab hominibus, & reuerentia ecclesiae suae, & communitatis. Deinde nutritur securitas etiam paulatim ad maiora alia permittenda.

Tertio, Redit illa antiqui populi licentia in excelsis & lucis, & extra templū religio, quae summe prohibita fuit. Nam de facto uidemus hac deuotionis licentia permessa, non tantū parochias, sed etiam monasteria ciuitatis dimitti, & ecclesias campi & uillarum, eadem deuotionis simulatione praeferi. Et sic ecclesiae cultum in tabernarum redigi frequētiam, ac nundinarum negotiationē, praetextu dedicationis, patronorum, uotorum &c.

Dico igitur mea sententia, Quicquid sit de alibi audiēda missa, nulli esse licitum in hoc ipso suum iudicium, suam opinionem, suam deuotionem sequi, sed auctoritatem ecclesiae, & captiuandum sensum in obsequium Christi: quia scriptum est, stultus est qui confidit in corde suo. Et ecclesia non potest errare, quilibet autem potest in sua deuotione errare: cum & multi prophetae, sancti, reges similiter errauerint, nobis in monitionem & terrorē. Ne ergo ullas credas glossas super decretum istud: qui enim sic glossat ignarus est in lege dei, & nondum cognouit quid sit diabolus & homo, multo minus quid sit deus. Et mira peruersitas glossae, quae uagam concedit deuotionis licentiam, quam textus data opera uoluit coercere. Immo semper, quicquid tibi teipsum dederit ac permiserit, te ne suspectū, quia facit ut inueniatur uolūtas tua in ieiunio tuo, ut dicit Esa. Sic illudit Michaeas Achab dicens, ascende &c. Quicquid autem tibi teipsum abstraherit, hoc sequere. Mathe. vj. Esto consentiens aduersario tuo &c. Mich. vij. Ab amico custodi te. Item, Omnis amicus fraudulenter incedit.

Audire uer/
bū dei in pa/
rochia.

Secundum est audire uerbum dei, quod iterum sub praeepto est, in parochia audiri, sicut & missam, nisi ubi intermittitur propter dedicationem altarum ecclesiarū, uel monasteriorum. In quibus post prandium audire, est de cōsilio quidem ecclesiae, sed tamen de praeepto dei, qui uult uerbum suum omni deuotione ubiq; audiri.

Excommunica/
tio nō exclu/
dit audire uer/
bum dei.

Et hoc secundum est magis necessarium, q̄ primum, immo primum est propter hoc secūdū, ut ex Christo patet, qui dicit: Quotiescunq; haec facietis, in meam memoriam facietis, quasi diceret, non celebrabitis missam, nisi praedicetis euangelium. Et Apostolus. Quotiescunq; enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem domini annuntiabitis &c. Ideo non licet missam perficere sine Euangelio, priuatam priuato, publicam publico. Immo in primitiua ecclesia, etiam excommunicati, poenitentes, catechumeni, energumeni, intererant missae usq; post euangelium: quae & missa catechumenon uocabatur, ut ex Dionysio patet,

patet, quod utinam adhuc hodie fieret, ut saltem uerbū dei audirent excōmuni-
cati, quo facilius intelligerēt, ac cōpungerent. Atrox esset nimīū excōmunica-
tio, etiā ab auditu uerbi dei; quod tamē om̄ibus creaturis praeceptū est p̄dicari.

Hic iterum quæstio est.

An satis sit audire euangeliū missæ priuata. Respōdetur, quod sit satis, si est
intelligēs simul, & coactus proficisci. Alioquin etiā si intelligat, tenetur tamē
audire uocale solenniter, alioquin cuiuslibet liceret publicam prae-dicationē relin-
quere, & fieret ipsa contemptibilis. Immo si fuerit necessitas proficisci, etiam si
non intelligit, immo si non audit, est excusatus. Debet tamē quilibet nō solū
cogitare, quanta necessitate cogatur absens esse, cum sit corporalis, sed etiam
quāta necessitate uerbum dei sit habendum, cum sit spiritualis. Ideo pietas cœ-
lestis debet semper uincere cupiditatem terrenam.

An satis sit
audire euan-
geliū missæ
priuatae.

Hic tamē notandum, quod si populus tanto rigore ad audiendum uerbum
dei est astrictus, quāto quæso sunt astricti sacerdotes, ut etiam uerbū dei dicāt,
& dici procurent? Quod cum sit super omnia praecepta instantissime manda-
tum, nescio qua miseria hodie nihil minus curatur, in multis locis penitus ob-
mittitur, in pluribus ea prae-dicant, quæ obmitti salubrius erat. In alijs locis pre-
dicantur humana, & doctrinæ iuris ac philosophorū: EVANGELIUM, id
est, memoria Christi tam rara, ut horror sit hoc attendere. Cogitur populus ad
parochiam, & non obedit, quia coguntur sacerdotes euangelizare, & non fa-
ciunt. Quid ergo mirum, si uagentur populi licētia superstitiosa ad alias eccle-
sias, quando sacerdotes nugantur, crassa ignorātia, per fabulosas & uanas do-
ctrinas? Tu non prae-dicas euangeliū, & grande crimen putas, quod populus
discurrit ad idolorum excelsum? Cum tu absis ecclesiae & officio & uerbo, quod
sequetur, nisi ut populus absit & obsequio & auditu? Tu ad literas intus in-
utilis, spiritu foris. Ideo & populus corpore migrat foris pariter & spiritu: tan-
to minus peccans quā tu, quanto promptior est audire euangeliū si diceres, im-
mo si didicisses. Tui occasione igitur euacuatur ecclesia, & pascua & uictum
ouibus, dum cogis pecus in caulas, negas. Ideo disperguntur oves Christi in
montibus, quia non erat pastor, dicit dominus.

Euāgelia nō
docentur hac
tempēstate,
sed humana
sua & philo-
sophia.

Tertium est, Orare, de oratione multa sunt dicenda, hic tamē de uocali uult
intelligi, quod nō est negandū, sed tamē ea debet esse minor & modica ad ora-
tionem spirituale. Oratio enim est ascensio mentis in deum, uerba sunt scalae,
sed uox est apparatus scalarum. Ideo dixi, quod hi sanctificant diem literaliter
& male, qui uoce tantū orant, immo non orant, sed orationes tantū proferunt
aliorum, nō aliter quā sicut liber, alterius scriptiōes & uerba ipse mortuus nihil
intelligens. Vel sicut organum profert cantū cleri, ipse nihil sentiens aut intel-
ligens illū, quod hodie magnū est mysteriū: quale est enim organum, talis &
clerus, id est, boator sine sensu, uox sine uerbis, sicut organū nō nisi uelut mu-
tam & elingūē uocē, ac sonū refert. De spiritali autē orōne postea in quinto.

Orare uoce
tā, non est
orare.

Organa mu-
sica clero cō-
feruntur.

Quartum, secundum quosdam est offerre, sed hoc abolitum est, licet in ec-
clesia primitiua fieret hæc oblatio panis & escarū in cōmuni, de quo offerebat
& reliquū in pauperes conferebatur. At nunc uice huius, dotatae sunt ecclesiae
monasteria, hospitalia &c. pro pauperibus.

Oblatio uete-
rum qualis
fuit.

Quintū, quod est maximum & omnium primum, scilicet reconciliari deo,
per examinationem conscientiae, & contritionem peccatorum. Hæc autē con-
tritio sic paranda est, ut non tantum ex odio, quantum ex amore procedat. ex
amore autem procedet (ut rudibus exempli gratia dicam) si homo secum ru-

Cōtritio pec-
catorum ex
amore p̄cedat
hoc mō.

R minet

minet beneficia dei in se per totam uitam collata. Tum illis opponat suam ingrati-
tudinem, & uitia, in abusu talium bonorum, ut quod dedit, v. sensus, tot
periculis seruauit, tot bona corporis, mentis, rerum dedit. Quae omnia non be-
ficijs, non lapidibus, non deniq; plurimis hominū dedit. Post hæc fiat ascensus
ad spiritualia, quod filium suum misit, in carnem, crucifigi, mori, & alia infiniti-
tæ dignitatis, tandem promissa æterna bona. Hæc omnia ruminata, & peccat-
tis composita proprijs, mire excitant odium, ac detestationem sui, amorem ue-
ro & laudem dei. Hæc est uerissima contritio, uiua & efficax; ubi illa de timo-
re inferni, & peccati turpitudine, est literalis, ficta & breui durans, quia nō ra-
dicata amore, sed incussa timore tantum. Sic de quodam legitur, qui per totam
uitam pessime uiuens, miris tamen beneficijs, ac donis dei prouehabatur, tan-
dem etiam ad episcopatum prouectus est. Tunc ad se reuersus, & admiratus
dei benignitatem erga suam indignitatē, exclamauit: Vicisti domine, & con-
clusisti me nimia bonitate tua, id eoq; ecce amodo totus tibi seruiam, & ita fe-
cit. Neq; contemni debet rudis ille ascensus a primis corporalibus bonis &c.
Nam legitur in historijs, quod tempore concilij Constañ. duo Card. ad Con-
cil. equitantes, pastorem in agro fletum uiderunt. Vnus autem eorum animo
misericiordiore, non possum (ait) abire, nisi audito illo homine & consolato,
& accedens causam fletus perconctatur. Ille dissimulat tristis, instat Card. &
cogit fateri. Tandem, ecce inquit, hanc bestiam (buffonem intuitus) tam exi-
miam creaturam fecit me deus, hominem erectum, decorum, rationalem, &
nunq; gratias egi, quod non me quocq; tam deformem buffonem fecerit, hoc
est quod amare fleo. Tunc Card. insolita contritioe hominis percussus, & sua
maiora beneficia, maiore ingratiudine sua, subito cōspiciens, de mulo exani-
mis cecidit. Tandem leuatus cura famulorum, & in ciuitatem perductus, sem-
per exclamauit: O Augustine sancte, q̄ uere dixisti: Surgunt indocti & rapiūt
coelum, & nos cum doctrinis nostris uolutamur in carne & sanguine.

Historia de
duobus epis

Hæc sunt opera ueræ sanctificationis, quæ significantur omnibus exteriori-
bus. Sic Treñ. iij. Memoria memor ero, & tabescet in me anima mea. Sine ijs
duobus non accenditur mens & cor; corde autem non succenso, omnia a-
lia frigide, uane, & noxie fiunt, quia sine fructu. Et hæc duo debent ex euan-
gelio audiri, audiatq; ruminari. Sunt enim hæc duo, scilicet dei bona, & no-
stra mala, scala ipsa in deum, in qua descendimus in nos, & ascendimus in
deum, sicut figuratum est Genesis. xxviij. Sunt etiam duo illa sacrificia,
laudis & cōfessionis, de quibus: Sacrificium laudis honorificabit me. & quod
ille sit ascensus in deum, sequitur: Et illic iter, quo ostendam illi salutare dei,
id est, reuelabo ei æternam salutem. De altero, cōfessionis scilicet: Sacri-
cium deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum deus non despi-
cies. Et hæc duo simul oportet offerri, ut sint eo perfectiora.

Bñficia dei
& nostra ma-
la sunt scala
in deum.

QUARTVM PRAECEPTVM.

HONORA PATREM ET MATREM, VT
SIS LONGAEVVS SVPER TERRAM.

Hoc